Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1542
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

quam sive deitatem. sive dilectionem sive caritatem appellamus non esse substantiam.
Querunt autem secundum substantiam exponi spiritum sanctum. nec intelligunt non aliter
dici potuisse deus dilectio est. nisi substantia esset dilectio. Ducuntur quip-
pe consuetudine rerum corporalium. quia si duo sibi corpora copulentur
ita ut iuxta invicem collocentur. ipsa copulatio non est corpus quandoquidem
separatis illis corporibus que copulata fuerant nulla invenitur. Nec tamen
quasi discessisse et migrasse intelligitur sicut illa corpora. Sed hii tales cor
mundum faciant quantum possunt. ut videre valeant in dei substantia
non esse aliquid tale quasi aliud ibi sit substantia. aliud quod accedat substantie
et non sit substantia. sed quicquid ibi intelligi potest. substantia est. Verum hec
dici possunt facile et credi. videri autem nisi puro corde quomodo se habeant
omnino non possunt. Quapropter sive vera sit ista sententia. sive aliud aliquid
sit. fides inconcussa tenenda est. ut deum dicamus patrem. deum filium. deum spiritum sanctum.
neque tres deos. sed istam trinitatem unum deum. neque diversas naturas. sed eiusdem substantie. neque
ut pater aliquando sit filius. aliquando sit spiritus sanctus. sed pater semper pater. et filius semper
filius. et spiritus sanctus semper spiritus sanctus. Nec temere de invisibilibus aliquid affirmemus
tamquam scientes. sed tamquam credentes. quoniam videri nisi mundato corde non possunt.
et quisquis ea videt in hac vita vel ex parte quod dictum est. atque in enigmate. non potest
efficere ut et ille videat cui loquitur. si cordis sordibus impeditur. Beati autem
mundo corde. quoniam ipsi deum videbunt. Hec fides est de deo conditore et reno-
vatore nostro. Sed quoniam dilectio non tantum in deum nobis imperata est. cum dictum est diliges
dominum deum tuum. ex toto corde tuo. et ex tota anima tua. et ex tota mente tua.
sed etiam in proximum. Nam diliges inquit proximum tuum tamquam te ipsum. si
ista fides congregationem societatemque hominum non teneat in qua fraterna caritas operatur.
minus fructuosa est. Credimus et sanctam ecclesiam. utique catholicam. nam heretici et scismatici
congregationes suas ecclesias vocant. Sed heretici de deo falsa sentiendo
ipsam fidem violant. scismatici autem discissionibus iniquis a fraterna caritate
dissiliunt. quamvis ea credant que credimus. Quapropter nec heretici pertinent ad ecclesiam catholicam
quia non diligunt deum. nec scismatici quia non diligunt proximum. Qui autem
diligit deum et diligit proximum pertinet ad catholicam fidem. et ideo peccatis proximi
facile ignoscit. quia sibi peccata ignosci ab illo qui nos reconciliavit sibi.
delens omnia preterita. et ad vitam novam nos vocans. quam vitam donec perfectam